

University of Memphis  
Language Fair 2023  
Latin Translation  
Level IV



*This is a paper-and-pencil translation (3 hrs. max.). The use of a Latin-English dictionary is allowed; however, participants must not use any online tools.*

### DE MENDACIO PAPIRII PUERI

Mōs anteā senātōribus Rōmae fuit in Cūriam cum praetextātis<sup>1</sup> filiīs intrāre.

Tum, cum in senātū quaedam rēs māior cōsultāta et in diem posterum prōlāta est, senātōrēs statuērunt sibi tacendum esse de eō consultō de quō tractāverant: nam senātū placuit nē quis eam rem ēnūtiāret priusquam dēcrēta esset. Māter Papiiri puerī, quī cum patre suō in Cūriā fuerat, semper omnia scīre volēbat atque interrogāvit filium quidnam in senātū patrēs<sup>2</sup> ēgissent. Puer respondit sibi tacendum esse, neque id dicī licēre.

Mulier autem fit audiendī cupidior: sēcrētum reī et silentium puerī animum eius ad inquirendum ēverberant<sup>3</sup>. Quaerit igitur compressius<sup>4</sup> violentiusque.

Tum puer, mātrem urgente, lepidī atque fēstivī<sup>5</sup> mendaciī consilium capit: ‘Āctum esse in senātū’ dixit, ‘utrum vidērētur ūtilius exque rē pūblicā esse<sup>6</sup>: ūnusne ut duās uxores habēret an ut ūna apud duōs nupta<sup>7</sup> esset?!’

Hoc illa ubi audīvit, animus compavēscit<sup>8</sup>, domō trepidāns<sup>9</sup> ēgreditur, ad cēterās matrōnās de terribili periculō loquitur. Celeriter rumor in Urbe vulgātur.

Posterō die vēnit ad Cūriam mātrum familiās caterva<sup>10</sup>. Lacrimantēs atque obsecrantēs, illae ā senātōribus petīvērunt ut ūnam fēminam duōbus virīs nubere statuerent.

Senātōrēs, ingredientēs in Cūriam, stupōre affectī sunt et mīrābantur quid postulātiō illa significāret. Tunc puer, cui nomen erat Papius, eis explicāvit sē ad mendacium compulsus esse et senātūs consultum de virōrum et feminārum nuptiīs finxisse.

Senātōrēs fidem atque ingenium puerī valdē dilexērunt, sed putavērunt periculōsum puerōs cum patribus in Cūriā adesse et aditum adolescentibus prohibuērunt: decrēvērunt enim puerī cum patribus in Cūriam nē intrārent - praeter ille ūnus Papius, atque puerō postea cognōmen honoris grātiā inditum est “Praetextatus” ob tacendī loquendīque in aetate praetextae prūdentiam.

*(adapted from Aulus Gellius, Noctes Atticae, I, 23)*

<sup>1</sup> Puerī praetextātī erant puerī quī togam purpurā (rubrō colōre) ōrnātam gerēbant usque ad aetātis annum XVII

<sup>2</sup> Patrēs = senātōrēs

<sup>3</sup> ē-verberāre = incitāre

<sup>4</sup> compress-ē (adv.) = ācriter

<sup>5</sup> fēstivus, -a, -um = iocōsus, -a, -um; salsus, -a, -um

<sup>6</sup> ex rē pūblica esse = reī publicae prōdesse

<sup>7</sup> nupta, -ae = uxor

<sup>8</sup> com-pavēscere = timēre, pertimēscere

<sup>9</sup> trepidāre = perterrita esse

<sup>10</sup> caterva = multitudō, turba hominum